

**Dissertatio medica inauguralis, de hysteria ... / eruditorum examini subjicit  
Joannes Caldwell.**

**Contributors**

Caldwell, John.  
University of Edinburgh.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, 1780.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/et2nk39q>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

D I S S E R T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S,

DE

H Y S T E R I A:

Q U A M,

A N N U E N T E S U M M O N U M I N E,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

A C A D E M I E E D I N B U R G E N A E P RÆ F E C T I;

N E C N O N

A m p l i s s i m i S E N A T U S A C A D E M I C I c o n s e n s u ,

E t n o b i l i s s i m a e F A C U L T A T I S M E D I C A E d e c r e t o ;

P R O G R A D U D O C T O R A T U S ,

S U M M I S Q U E I N M E D I C I N A H O N O R I B U S E T P R I V I L E G I I S

R I T E E T L E G I T I M E C O N S E Q U E N D I S ;

E r u d i t o r u m e x a m i n i s u b j i c i t

J O A N N E S C A L D W E L L,  
H I B E R N I C U S .

Soc. Chir.-Med. Soc. Hon. et annis 1779-80 Praef. Ann.

— Varium et mutabile semper  
Foemina.

Virgilius.

14 DEG 16

Adeo perpetua haec sit microcosmica lex, in pathologicis studiose  
imprimis observanda, quod spasmus relinquat atoniam, et atonia vi-  
cissim spasmis ingnendis velificetur. Hoffmannus.

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

E D I N B U R G I :

Apud B A L F O U R et S M E L L I E ,  
Academiae Typographos.

M,DCC,LXXX.

Еще,

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с  
С о в е т и и и и и и и и

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

И К У О

Д и м и н и о н и с т и в а т и л и к а

Л и в с и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

и в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

С и в о в а в с и в о в а в с и в о в а

А Д Р Е С О В А Т Я Е з а с

Viro generoso, egregio,

GULIELMO CUNYNGHAM

DE SPRINGHILL,

In Comitatu Derriensi,

ARMIGERO,

In curia Hibernica Senatori integerrimo ;

Cujus confilio amicissimo,

Studio theologiae,

Post operam diu impensam,

Posthabito,

Arti Apollinari animum appulit ;

Indole probissima, et humanissima,

Moribus suavissimis, et urbanissimis,

Virtute eximia et singulari ornato,

Insigni, spectato, praeclaro ;

Patrono suo magno,

Summa cum veneratione semper suspicioendo,

Diligendo, honorando ;

Ob insignem voluntatem,  
Amicitiam in rebus laetis et adverfis,  
Intemeratam,  
Et plurima, fere innumera, beneficia,  
A parente suo illustri, feipſoque,  
In auctoris patrem fuosque,  
Largiter collata ;  
Verbis folis, heu ! repenſa ;  
Quorum, quamdiu vivere dabitur,  
Memori pectori haerebit,  
Grata omnium recordatio ;  
Hasce studiorum primitias,  
Exiguum, ſed publicum,  
Existimationis sincerae, et obſervantiae summae,  
Testimonium,  
Necnon animi grati et devincti,  
Monumentum,  
Sacras eſſe voluit

J O A N N E S C A L D W E L L.

D I S S E R T A T I O M E D I C A

I N A U G U R A L I S,

D E

H Y S T E R I A.

P R O O E M I U M.

**C**ONSIDERATA mecum magna ac fuenta morborum copia, quae sanitati generis humani quotidie insidias parat, eamque non raro destruit, incertum reddidit animum, quemnam potissimum eorum thematis loco explicandum mihi feligerem. Opportune autem venit mihi in mentem, nullam morborum classem esse quae majore ferocitate, ac magis horrendis visu symptomatis, mortales excruciat; de qua auctorum celeberrimorum opera adeo manca, indigesta, et distorta sunt; et ergo quae maiorem fructum libris devoto promittit, quam illam cui titulo est Neuroses.

Ex

Ex hac classe vix ulla species tam contumax et horrifica est, quam Hysteria; et certe omnium haec longe frequentissime corpora humana afflit. Si his rebus addantur aegrotantium plerumque, foeminini saltem sexus, superior dignitas, sensilitas exquisita, cum ingenio alaci et sagace illius partis sexus, hujus morbi saevitiae maxime opportuna; aetas juvenilis, et mutati mirifice animi conditio perdita; causa, cur hanc speciem omnibus aliis praeponerem, statim apparebit.

Inter veteres opinio, foeminis proprium hysteriam morbum esse, invaluit. A medicis vero in arte sua celeberrimis, viros hocce morbo laborantes se vidisse affleverantibus, haec observatio e scholis prorsus eliminata fuit.

Viris tam magnis contradicendi nullo pruritu impulsus, sed veri investigandi ardore incitatus, exoletam hypothesis quodammodo recoquere, inter alia, in hoc tentamine audebo; et hoc in loco pauca argumenta, huc inservientia, dabo.

1. Medici, qui hysteriam viros affligere viderunt, perpauci numero sunt; et, post longam vitam in arte Apollinari multum et late versatam, vix duo istiusmodi exempla aliquis noverit.

2. Qui malum viros occupare nunquam viderunt, fere innumeri sunt.

3. Causae hysteriae excitantes, tam inter viros quam foeminas, multo frequentius nuper locum habent, et multo diutius durant; sexum tamen foemini-

num solum graviores effectus illo modo passum fuisse,  
inter omnes convenit.

4. Hysteriam, sensibus internis et externis integris,  
cum convulsionibus lenissimis, quam epilepsiam sen-  
sibus prorsus abolitis, cum convulsionibus vehementif-  
simis, simulare, multo facilius esse apparet: Hanc  
tamen multos cum successu imitari, quotidiana experi-  
entia docet \*. Ex omnibus, causa proxima connexis,  
aequus et eruditus lector utramque sententiam, velut  
in trutina positam, libret; et quod probabilius appa-  
ret, exinde concludat.

Opusculum sequens, die solenniter constituto, exa-  
mini subjiciendum, summa qua poteram diligentia,  
variis aliis studiis haud negligendis occupatus, confi-  
cere, et ordine, usui quam maxime accommodato,  
conatus sum tradere.

### S I G N A M O R B I.

Hic gravissimus et admirandus affectus plurima  
comprehendit symptomata, quae varias in diversis cor-  
poribus formas induunt; nec unquam fortasse caterva  
symptomatum depingenda, in eodem corpore, simul  
et semel observatur.

### P R Æ N U N.

\* De Haen, Sauvag. &c.

## PRÆNUNCIA SYMPTOMATA.

Foeminae per intervalla, e levi vel nulla manifesta causa, moestae, cogitatione defixa, solitudinis amantes, et anxiae, ex improviso evadunt; de lassitudine, et imbecillitate conqueruntur; taedio habent omnia, vixque ulla re delectantur. Pallor faciei languidus, et aspectus tristis, oscitationes et pandiculationes aegrotantium a spectatoribus percipiuntur. Vigiliae, animi perturbationes, cogitationum aestus et fluctuatio, molestissima animi incertitudo, rei cujusque formido et suspicio, et e minimo rei inopinatae superventu trepidatio invadunt. Tandem de cordis palpitatione, cum insigni ejusdem oppressione, laborantes queri solent. Agitationes convulsivae fugaces, cum formicationis, vel aurae, modo frigidae, modo calidae, sensu; cordis et arteriarum pulsationibus plerumque longe celeriores, aliquando multo rariores; varias corporis partes exiguae, mox abdomen, mox pectus, mox artus, vel caput, praecipue oculos, vehementibus vibrationibus, dolore vacuis, occupant. In capite dolores atrocissimi et molestissimi sentiuntur; aliquibus totum caput dolet; quibusdam dimidiatum; aliis dolor atrox est, exiguum capitidis partem occupans, aliquando lancinans, cui nomen Clavus Hystericus dari solet: Nonnullis circa oculos dolor imprimis percipitur, ex sua sede quasi erupturos. Pro dolore plerumque sensus frigoris, vel ponderis gravantis, multum urget; sed, subitaneo ardoris sensu, caput nonnullis per-

perfunditur, cum vertigine, visu obnubilo, tinnitusque aurium vario. Hi dolores, certis interdum periodis, praesertim mane, affligunt. Oculis, quasi muscularum volitantium, colorum, scintillarum, nebularumve, vel aliarum rerum simulacra, obversantur, multisque levis lachrymarum fluxus molestus est.

Incubo, somnis turbulentis, et insomniis terrificis, excruciantur aegrae, vel noctes insomnes, cum crebra corporis agitatione, ducunt; vel trepidae exiliunt e somno, si forte obrepere incipiat. Irritationis et ardoris sensus in organis urinae, cum mingendi desiderio immodico, urinae limpidae copia profusa erumpente, invadit. Saliva copiosior fluit, et sudores nocturni, praecipue matutini, contingunt. Citius, seriusve, morbo potestatibus nocentibus aucto, haec symptomata ingravescunt; sed interdum inopinanter, potestate nocente fortiori adhibita, morbi paroxysmus incidit.

### P A R O X Y S M I   S Y M P T O M A T A.

Symptomata supradicta, paroxysmo jam ingruente, omnia incrementum sumunt. Pulsus debilior, minor, frequentior micat. Respiratio brevis, crebra, et plurimum impedita evadit. In ventre murmura, et variis sonitus audiuntur. In plerisque quasi globi cujusdam motus in abdomen, praecipue ex hypochondrio sinistro se volventis, ad ventriculum et fauces ascendentis,

B

ibique

ibique strangulantis, percipitur. Cum globus ad ventriculum pervenerit, saepe nausea, vomendi nifus, rarius vomitus, excitantur.

Huc illuc in gyros, variasque flexiones coactus, corporis truncus vehementer detorquetur. Convulsiones universales raro contingunt: Plerumque sine membrorum contractione, in ventre inferiori, ventriculo, thorace, faucibus, et capite; scilicet in eorum aliquo, aut successive in omnibus, paroxysmi tragoeadia peraguntur. Alterutram manum subinde ad fauces et pectus aegrotae adducunt, iterumque retrahunt, et has partes immodice premunt, vel tundunt.

Singultus peculiaris sonorus, gallinae cantui quadrantenus, quibusdam judicibus, similis, saepe exauditur. Umbilicus haud raro intro retrahitur, et dentes stridere percipiuntur. Spiritus brevis, et maxime difficilis dicitur. Vox perit. Arteriarum pulsationes vix sentiuntur. Ejulatio, neque metu, neque hortatu, neque aliis artibus compescenda, saepe accidere solet. Multae lachrymantur; aliae contra in risus immodosos solvuntur; aliae, sed raro, utrumque vicissim faciunt. Oculi plerumque clauduntur. Plerisque alvus astrieta est; flatus coercentur: Et saepissime fistulae tenuissimae, qua clyster infunditur, ani sphincter introitum non praebet. Paroxysmo remittente et abeunte, pulsus fortior, mollior, et tardior redditur. Facies explicatior, et rubicundior fit. Vox restituitur.

Tunc

Tunc fabulas absurdas deliraque quaedam loquuntur. Foeminae, nisi delirio correptae, quae dicuntur audiunt, et eorum, post paroxysmum, etiam recordantur\*. Flatum ingens proventus, sursum per os emisus, vel deorsum per inferiora erumpens, multum levat, et non raro malo remittente occurrit.

Symptomata omnia, instante mensium fluxu, praecipue infestant, aut augentur. Post aliquod tempus paroxysmus cessat, et tunc aegrota de capitis dolore, languore, et lassitudine queritur. Paroxysmi nunc crebrius, nunc rarius invadunt, nunc brevius, nunc diutius durant.

Per intervalla, in tempore paroxysmis libero, praesertim a sumpto cibo, ventriculus, necnon totus inferior venter, praecipue hypochondrium sinistrum, magnopere inflantur; et tota symptomatum dyspepsiae caterva, per anorexiā, nauseam, vomitum, flatum, ructum aquosum vel acidum, ruminationem, borborystmos, cardialgiam, gastrodyniam, tormina, et alvum plerumque

\* Ad impressiones rerum percipiendas, requiritur animi attentio, vel saltem tranquilitas. In irae paroxysmo enim multi vulnus non sentiunt, nisi defervescente pathemate, aut cruento conspecto. In summo terrore, usitata non audiunt perterriti: "Ad ideas quoque in memoriam revocandas, requiritur post perceptionem animi consideratio, quae morem utilem, corpora externa manibus volvendi, vel oculis undique lustrandi, refert f." Hinc quaedam interdum hystericas ignota videantur.

+ Prof. celeberr. Reid, Prael. pneumatol.

plerumque astrictam, rarius solutam indicata, saepe  
apparet †.

De dolore lateris, saepius sinistri, thoracis partem aliquando occupante, foeminae multum conqueruntur. Dolores vagi oriuntur, et ultiro citroque excruciantes transcurrunt : Sed interdum thoracem, ad scapulam alterutram et cervicem extendentes, misere fixi occupant. In fauibus, et thorace etiam, saepenumero magna angustia sentitur ; hauriendi potestatem molestam, respirationem difficultem, et ad motum quemvis laboriosam, faciens ; vel, si antea difficultas spirandi adfuisset, eandem magnopere augens ; etiam in nonnullis paroxysmi asthmaticis quodammodo similes ingruunt. Facies rubore fugaci, aliaeque partes ardore subito excitato perfunduntur. Palpitationes cordis, praesertim nocturnae, dyspnoea, capitis dolor, vertigo interdum ad vacillationem crurum aucta, subinde vehementer invadunt. Animus magis anxietudini melancholicae deditus observatur ; neque adeo varius, neque tot felicibus lucidisque intervallis fruitur, ac plures scriptores depingunt ; plerumque valde demissus est ; et aegrae, multis lethiferis, quibus revera immunes sunt, morbis, se credunt laborare. Exspes, a levi causa iracundus, vel morosus animus est. Tussicula sicca, cum suspiriis altis, saepe molesta, et diurna est. In vicinitate aortae descendenter, circa regionem umbilicalem, in hypochondriis, et aliis corporis partibus, pulsationem insignem, cordis palpitationem

† Nullus inter hysteriam et dyspepsiam nexus necessarius est ; illustriss. Cullen Praelect.

tionem aemulantem, aegrotae fentiunt; et hunc motum medicus, manu admota, plane percipit. Ægrotantes, prae insigni cruciatu, dies et noctes plerasque insomnes degunt. Animi incertae et impatientes multos consulunt medicos, quos querelis, sanitatis recuperandae desperatione, remediorum inani *successu* discruciant; varias tamen assidue appetunt medicinas. Amorem effraenum vitae et voluptatum, minimorum incommodorum intolerantiam, et exaggerationem imaginariam, cum summa animi sensilitate, et irritabilitate, quasi comites, hic morbus habet. Calorem generandi potestas, perspiratioque Sanctorianam, multum diminuuntur. Menses, si stabiliti fuerint, tandem plerumque suppressi fiunt; interdum immodice fluunt; et, in alterutra conditione, fluor albus raro abest. Ægrotae emaciatae aliquando, earumque caro flaccida, cutis lurida, oculi tristes, et admodum humidi, et spiritus foetidus, evadunt. Faciei rubore fugaci, aliarum partium calore vago, et symptomatis febris, praesertim post cibum stimulantem sumptum, vel per noctem, in qua sudor in partibus superioribus occurrit, hystericae correptae sunt. Malum inventeratum, morbum symptomaticum lethalem in sodalitium trahit: Et ictero, tympanitide, ascitide, quin et epilepsia, vel apoplexia, mortem cum fide indicat.

Hysteriae obnoxiae sunt foeminae cujusque aetatis, conditionis, et temperamenti, sive simplicis, sive compositi, nisi melancholici proprie dicti; divites, pauperes, virgines, nuptae, et viduae. Sed foeminis  
summa

summa animi sensilitate, et ingenio acutiori praeditis, ab anno aetatis decimo quinto ad tricesimum quintum, virginibus viro maturis, viduis junioribus vegetis, foeminis conjugatis, sine prole tamen viventibus, et urbanis multo magis, quam rusticis, praecipue infesta est. Viragines minus saepe, sed magis aspere patiuntur.

Est autem huic affectui non parva symptomatum et asperitatis varietas.

Foeminae non paucae multis symptomatis depictis correptae sunt, sine paroxysmi accessione; et harum multis crebra deliquia superveniunt. Temporis momenti spatio reclinantes, quietae, cum pulsu diminuto, tardiori, obscuro, sed qui semper percipi posse  $\dagger$ ; voce perdita, oculis clausis, corpore, praecipue partibus extremis, frigido; sine sensu, motu, vel respiratione manifesta, nisi candela accensa, ori applicata, aliisve artibus detecta  $\ddagger$ ; quasi syncope correptae, aut mortuae, plerumque a quinque ad quindecim minuta jacent  $\S$ . Quaedam sepulturae, pro mortuis habitae, destinatae fuerunt, quae tamen postea revixerunt  $\P$ . Accessione remittente, intestina obmurmurant; oculi attolluntur; genae rubore suffunduntur; actiones animales restituuntur; corpus incalevit; aegraeque suspiriis profundis emissis, ad se redunt.

$\dagger$  Viri egregii Whyttii opera.

$\ddagger$  Ibid.

$\S$  Ibid.

$\P$  Hoffman. Alex. Bened. et Ambr. Par. in Sennert. operibus.

deunt. Colica, dysuria, ischuria, doloribus renum et vesicae, quasi ex calculo progredientibus †, haud raro excruciantur.

In regulae congruentem, et anomalam, natura duce, hysteria distingui potest.

Cum paroxysmus, supra depicto similis, occurrit, regulae congruens dicatur. Si vero multa symptomata enumerata, sine paroxysmo, in foemina mobilitate morbida praedita observentur, praesertim si syncope, qualis depicta, saepe discruciet; malo hysterico anomalo, proprie, ut mihi videtur, aegram affici affirmari possit.

### D E F I N I T I O M O R B I .

Nusquam fortasse in nosologia methodica, egregii Culleni solertia propria, et praestantia usitata, majore splendore effulserunt, quam in hysteriae definitione reformata. Tamen liceat mihi celeberrimi viri verbis, paululum mutatis, uti.

### D E F I N I T I O H Y S T E R I Æ R E G U L Æ C O N G R U E N T I S .

Ventris murmura, urinae lympidae copia profusa, cordis palpitationes, animus, nec sponte, varius et muta-

† Virorum præclarorum, Homii Principia, Gregorii Praelect. clin.

mutabilis ; sensus globi in abdomine se volventis, ad ventriculum et fauces ascendentis, ibique strangulantis ; corporis truncus in gyros, variasque flexiones detortus.

Animum nullius altius penetravit quam meum morbos definiendi difficultas ; ignorantia igitur, quam arduum opus foret, hysteriam anomalam definire, non ut susciperem inductus fui ; neque arrogantia, sed necessitate quodammodo impulsus ; quia sine ea, magis manca haec disertatio esset ; et quia eruditi, famam bonam jam acquisitam super talem rem committere parum cupidi, istiusmodi tam arthritidis quam hysteriae definitionem, utpote multis difficultatibus obsitam, proponere noluerunt.

Morbi, quippe qui tam mutabiles existant, definitionem logicam omnino respuunt. Sed inter rei nosologicae incumbentes, descriptio brevis dicitur definitio. Si igitur hysteria anomala dignosci, breviter quoque quodammodo describi, i. e. definiri potest.

#### DEFINITIO HYSTERIÆ ANOMALÆ.

Ventrismurmura, urinae limpidae copia profusa ; cordis palpitationes, agitationes convulsivae in variis corporis partibus exiguis ; dolor capitinis, exiguum praecipue spatium occupans ; vertigo, tinnitus aurium, vigiliae, somni turbulentis, dolores vagi ; fau- cium, et in thorace sensus angustiae ; tussicula sicca, singultus peculiaris sonorus ; e minima re inopinata, trepi-

trepidatio, saepe deliquii animi species, vel colica, in foemina animo vario et mutabili praedita.

Signa omnia enumerata fortasse raro, simul et semel, in hoc morbo multiformi expectanda; neque profectio ad morbum dignoscendum tot necessaria.

### C A U S Æ R E M O T Æ.

Causae remotae hysteriae a medicis apte distinguuntur in seminium, et potestates nocentes. E quibus

### S E M I N I U M.

1. Affectioni hysterico opportunae sunt foeminae, quibus habitum corporis debilem, mollem, sensilem, et mobilem natura praebuit; vel vivendi ratio forsve acquisivit. Hoc verum esse, filiae a matribus hystericas natae, a morbis acutis et debilitantibus convalescentes, et otio luxuque educatae, hysteria correptae quotidie docent. Vix ullus est morbus, quam hysteria magis gentilitius; radices enim agit in fibrum habitu, quae nascuntur ad convulsiones suscipiendas dispositae. Ab ipsa nativitate multae, labe haereditaria impressae, nihil sensui, aut imaginationi, fortius et vehementius oblatum tolerare possunt, quin statim in confusiones adigantur. Hinc hystericae morbi haereditatem posteris saepe tradunt. Sed labes haereditaria, silente seminio in matre, vivendi ra-

tione mascula et temperata domito, ex avia derivata fuit in neptem.

Generis nervosi mobilitas, et omnium solidarum partium laxitas et debilitas, his notis stipantur: Pulsus debilis, parvus, et frequens est; et a casu quovis inopinato, e. g. levissimo januae strepitu, exercitatione, stimulantibus, multo magis quam inter vegetos, frequentia augetur. Cor saepe palpitat. Animus varius, et a levi causa vehementibus motibus agitatus; imaginatio vivida est. Frigoris calorisve gradus, subito mutatus, multum incommodi incutit. Capilli solito laeviores, colore rubescentes, vel splendidores, et tempore verno desfluentes observantur. Cutis albida et nitida, vel, si jam multum debilitata fuerit aegra, coloris cinerei; caro flaccida est. Morbis a debilitate et irritabilitate pendentibus, menorrhagiac, diarrhoeae, multisque ex neurosum classe sic constitutae, obnoxiae sunt.

2. Hysteriae obnoxiae etiam sunt in arteriis plethoricae. Ex historia apparet, hysteriam in periodo plethorica maxime graffari; et alias morbos a mobilitate et plethora provenientes, scilicet asthma et epilepsiam, omnibus notum est, per idem tempus infestare. Plethora insignis arteriarum, nisi in corpore mobilitate praedito, vix inveniri potest; et ex his praecipue temperamentum sanguineum nunc depingendum, usque eo, quo opus utileve erit, ad diagnosis stabiendam, constare videtur.

T E M.

## TEMPERAMENTUM SANGUINEUM.

In corporibus ad hanc normam constructis, partes solidae laxiores et molliores, vulgo humidae; capilli molles, plerumque rufi vel flavi aut albidi, observantur. Musculi irritabilitate insigni, nervi sensu exquisito et mobilitate propria, praediti sunt. Arteriae colore plerumque florido, cute molli et laevi, calore magno, corpore crasso ac turgido, fronte lepida et laeta, amplae et plenae apparent. Pulsus frequens et mollis est. Secretiones et excretiones commodissime procedunt. Motu facili, prompto, et agili, ad omnium generum actionem corpus pollet.

Animi habitus secundum corporis texturae diversitatem diverse formatur. Mobilitati corporis in temperamento sanguineo animi status respondet. Animi affectus mirum in modum vividi et excitatu faciles; levibusque caufis e spe in timorem, e moerore in gaudium, e dolore in voluptatem, perfacile transeuntes. Insigni animi alacritate et laetitia sanguineo temperamento praeditae gaudent; de futuris minime sollicitae, ad labores necessarios remissae, et propositi saepe temere suscepti parum tenaces.

Res minime accurate fere omnes perpendunt, et ideo malum de iis judicium saepe ferunt. A contemplationibus diuturnis ac operosis negotiis longe alienae; ultra rerum superficiem raro penetrandi cupidae; rebus frivolis, et quaecunque animos multorum

simul

simul occupent, gaudentes; ad res subito oblatas trepidae, apertae, temerae; ad amicitiam proclives, atque celeriter sine suspicione confidentes; integritate tamen et fidelitate interdum leviter vacuae.

Ab hoc omni prorsus re, ex diametro opposita, differt temperamentum melancholicum.

Temperamenta nuncupata simplicia, plerumque inter se sunt commista; sed in omnibus malo hysterico laborantibus, sanguineum aliis, magis minusve praepollet.

### P O T E S T A T E S   N O C E N T E S.

Causas rite investigandas, aliquo sub ordine disponere conati sumus, sequenti in

### T A B U L A.

Ex potestatibus nocentibus, recta in cerebrum et genus nervosum agentibus, recensendae sunt,

#### I. Stimulantes.

##### 1. Internae.

###### A. Emotiones animi excitantes.

a. Ira.

b. Gaudium.

c. Amor spe et voluptate stipatus.

d. Notiones venereae.

e. Odium acre et potens.

2. Cor-

## 2. Corporeae.

- A. Odores vehementes, suaveolentes, vel ingratiantes, generis stimulantis.  
a. Varii.

## II. Sedativae.

## 1. Internae.

- A. Emotiones animi reprimentes.  
a. Metus.  
b. Moestitia.  
c. Curae et solicitudines.  
d. Amor exspes.  
e. Invidia.  
f. Zelotypia.

## 2. Corporeae.

- a. Opium.  
b. Liquores spirituosi.  
c. Thea et coffea.  
d. Nicotiana.  
e. Venus immodica.  
f. Lucubrations.  
g. Odores suaveolentes, vel ingrati, generis sedantis.  
aa. Varii.  
h. Exercitatio cuiusvis generis immoderata.  
i. Calor diuturnus.  
j. Aër humidus, et effoetus.  
k. Frigus, praesertim pedibus admotum.  
l. Morbi praegressi.

m. In-

- m. Ingesta, qualitate narcotica vacua, nocentia.
- aa. Acida.
- bb. Pinguia.
- cc. Viscida.
- dd. Inflantia.
- ee. Dura.
- ff. Luxuriosa, exaestuantia, et opipara.
- gg. Liquida nimium usitata, praesertim calida.
- n. Ingesta quantitate nocentia.
- aa. Cibi redundantia.
- bb. Defecatio ejusdem.
- o. Alvus diuturne astricta.

E potestatibus nocentibus, ex eventu in cerebrum et genus nervosum agentibus, recensendae sunt,

- I. Stimulantes, utpote plethoram augentes.
  - a. Vita sedentaria et umbratilis.
  - b. Diaeta lauta, et concoctu facilis.
  - c. Calor subito auctus.
  - d. Evacuationes solitae suppressae, vel neglectae.
    - aa. Variae.
- II. Sedativae utpote humores minuentes.
  - a. Nimia humorum, praecipue sanguinis, evacuatio.
  - aa. Morbi.
  - bb. Medicina.

Quoniam

Quoniam singulas causas hic enarratas fuse explicare, ultra justos limites hanc dissertationem longe produceret; pauca tantum de his, ex tabula quodammodo in lucem prolatis, dicere sufficiat.

Primum considerandas sese offerunt animi emotiones. Ex omnibus causis pathemata vehementissime, quia saepe directius in animum sensilitatis originem agunt; et eorum potestatem fere immensam, in morbis dictis nervosis, quotidiana experientia docet: Sed in nullo malo majora incommoda, quam in hysterico, edunt. In Valetudinario Edinburgensi, quamlibet paroxysmo hysterico laborantem, aliarum oculis objectam, simile malum quoque in iis, quae ad morbum proclives erant, saepe movisse, longe lateque notum est. Praeter horrorem quoddam principium, unde oscitantes et tussientes imitari solemus, adeste videtur. Animi affectus etiam, vi imaginationis vividae aggravati, per ideas associandi facultatem, hysteriam excitasse, nemo non compertum habet. Exempla insignia mulieris epilepsia correptae, quoties tempore ullum ingrederetur, Sauvagesius, alterius gravidae vomitu affectae, quoties stola quaedam consiperetur donec peperisset, Cullenus nobis tradiderunt. Praeterea animi affectus deprimentes, vitam sedentariam umbratilem, et errores fere omnes a rebus non naturalibus dictis, morborum fere omnium scaturiginem nunc dierum praebere existimatis † pendentes,

in

† Tissot's introduction to the diseases of people of fashion;  
Brunonis Praelect.

in sodalitium trahunt. Horum affectuum alii potestatisibus stimulantibus, alii sedativis gaudent, ut effectus ipsorum plane demonstrant; sed modus operandi in alterutra conditione tenebris spissis obrutus jacet; et, nisi animi natura divinitus patefacta sit, semper jaceat necesse est.

Proximi notandi veniunt odores; quibus nihil externum, medicis celeberrimis attestantibus, potentius in hystericas agit. Ex his, propter effectus in homines vegetos, quidam stimulantes, alii sedativi dicuntur. Horum operatio, aequa atque animi affectuum, obscura est.

Aliud causarum agmen, opium, liquores spirituosi, thea et coffea, nicotiana, venus immodica, lucubrations, exercitatio immodica, calor diurnus, frigus praesertim pedibus admotum, et diaeta exaestuans, hic notandum est.

Quodlibet fere ex enumeratis, hysteriam primo excitasse, et postea reduxisse, experientia multiplici comprobatum est.

Per observationes et experimenta multorum, potestates hujus catervae sedativa ab omnibus fere conceduntur; sed harum effectus, directus necne sit, inter eruditos ambigitur. Ex effectibus subito editis mihi persuasum est, omnia enumerata vi stimulante recta pollere. Ab iisdem observatio Culleniana, scil. collapsus incitationem secundum oeconomiae animalis legem semper sequitur, non parum confirmatur. Nec alio casta duceret ratio. Quoniam enim vires

ani-

animalium certos terminos habeant, post insolitam, abnormem, nimiamve actionem, renixum plerumque dictum, eas exauriri oportet.

Ad hysteriam quoque inducendam, aërem humidum et effoetum, et liquida nimis usitata, non parum afferre, haud paucis existimatur; et maximo credo non sine jure. Urbanis, inter multas alias, his causis obnoxiis, praeципue infestam esse, omnibus notum est. Quamvis igitur noxios quosdam effectus in illis ferrea valetudine gaudentibus, exinde raro statim apparere observatum sit, in his teneriore corpore praeditis potestates exerunt valde notabiles. Aër humidus vi resiliendi ad pulmones explicandos caret; neque ut siccus aër halitum cutis afferre potest. Hinc sanguinis circuitus perturbatur. Praeterea, si effoetus sit, phlogiston e corpore exhalante absorbere nequit; imo tali mephiti inquinatus haud parum nocere potest. Denique, aequa ac liquida nimis usitata, aër humidus et effoetus corpus solvit, et plenitudini gignendae faciet.

Proximi veniunt cibi concoctu difficiles. Hinc aëris fixi effugium et acidi generatio promoventur; unde sedativi effectus, et ventriculi et intestinorum distentio sequuntur.

Nec aliter explicabilis est alvi durities.

Ex causarum agmine per eventum agentium, calor subito auctus solus et postremus explicationem postulat. Sanguinem, superficiem corporis appetentem, rariorem reddit calor subito auctus; inde in partes

internas calidas reducem, usitatam densitatem haud statim recuperare posse necesse est. Pars sanguinis altera sic magnitudine augetur, dum solida rigida vix mutantur. Hinc plethora, ex qua Wintringham senior celebris morborum phlogisticorum vernorum explanationem tradidit †, sequitur. Viribus vero caloris stimulantibus malum plurimum exaggeratur.

### C A U S A P R O X I M A.

A symptomatum, feminii, potestatum nocentium, et rationis medendi mox tradendae contemplatione diligente, paroxysmi regulae congruentis causae partem faltem proximae, canalis alimentarii affectum spasticum cum motu antiperistaltico ‡ aucto, esse luculenter apparent. An ulla alia res conjungenda est? Si morbum foeminis proprium esse credamus, in genitalibus mulieribus causam necesse est quaeramus §. In omnibus enim sexui utrique communibus, nulla causa adaequata, quare virorum status mobilis epilepsiam, foeminarum hysteriam induceret, inveniri potest. Mulieres morbis uterinis, amenorrhoea, menorrhagia, lochiorum suppressione vel fluxu immodico, leucorrhoea laborantes, malis canalis alimentarii variis statim plerumque immersas esse, cuivis medicorum notum est. Praeterea, ex viris egregiis Culleno, Sauvagesio,

† Commentar. Nosologic.

‡ Monroi illustr. Praelect.

§ Vide Prooemium.

vagesio, et Astrucio, hysteriam saepe libidinis paroxysmum, et nymphomaniae aliquantulum alligatam, esse docemur. Inde consensum genitalia inter et canalem intestinum, causam spasmodum ad sedem hysteriae dirigendi esse, in promptu conjicere est. Sed quoniam gravidas, virgines, malis diversis et etiam natura oppositis jam enumeratis afflictas, malo hysterico obnoxias esse undique conceditur, statum genitalium morbidum mobilitatem propriam esse, concludamus oportet.

Ex his omnibus, affectui spasmodico motum antiperistalticum auctum, et genitalium muliebrium statum irritabilem proprium in mobilem morbidum mutatum, adjicere liceat.

E signis hysteriae anomala rite perpenfis, causam ejus proximam canalis alimentarii malum spasticum, vel convulsivum leviusculum, sursum non ascendens, cum genitalium statu mobili jam depicto connexum esse, omnibus, ut spero, perspicuum erit.

#### RATIO SYMPTOMATUM, QUATERNUS FACULTAS EST.

Quidam fortasse, quorum in manus haec dissertatione veniat, voces sensilitatem, irritabilitatem, et mobilitatem, explanatas esse vellent. Explicationem igitur sequentem tradam. Sensilitas corporea animantium est is solidorum vivorum status, quo stimulorum exterorum impressiones in animo percipiuntur.

Irrita-

Irritabilitas corporea animantium est is musculorum status, a fabrica propria et nervorum in illis terminantium sensilitate pendens, quo stimuli vel corporei, vel ex animo provenientes, contractionem eorum ciere possunt. Neque huic res notabilis, scil. muscularum a corpore semotorum actio brevis, valide objicitur. Quoniam enim actio ista non diurna est, et quoniam stimulus nervo, vehementiorem agitationem, quam musculo in quo definit applicatus, excitat, e nervo, et non fabrica sua sola, musculus contrahendi potestatem habet. Hinc nervorum frustis excisis statum brevi periturum, velut acui chalybeato magnetem, cerebrum in animalibus magis perfectis impertire, mihi abunde persuasum est.

Per mobilitatem, irritabilitas aucta, qua stimuli contractionem nimis celerem et facilem gignunt, et musculos dissitos praeter naturam in actionem sympatheticam trahunt, intelligitur.

Tot, tamque varia, et explicatu difficultia, quae in hoc morbo occurrunt symptomata, perspicue enucleare, nec viribus meis tenuibus, nec dissertationis hujus limitibus, convenit moliri. Multorum causae facile eluent; aliorum crassis tenebris obrutae jacent. De his ergo et illis catervatim pauca differere, de aliis intricatis, sed explicabilibus, fusius dicere oportet.

*Moeror, anxietas.*—Harum rerum causarum remotarum modus operandi tenebris spissis involutus est. Irritabilitatem et debilitatem corporis inter et haec mala arctum nexus esse, scire satis est.

“ Suffi-

“ Sufficiat si quid fiat, intelligamus ;

“ Etiam si quomodo quidque fiat, ignoremus.”

*Pallor, aspectus tristis, oscitationes, pandiculationes.*—A debilitate corporis stabili vel temporaria, arterias sanguineas et genus nervosum afficiente.

*Vigiliae, animi perturbatio, formido, trepidatio.*—Ab irritabili, mobili, et debili corporis et animi statu.

*Cordis palpitatio, et oppressio.*—Cum metus vel alia similis causa excitat, debilitati et irritabilitati spasmus superficie, sanguinem introrsum comprimens, fortasse interdum adjiciendus est. Sed plerumque potestate stimulante sanguinis redditum nimis accelerante, et cor debile et irritabile viribus inefficacibus renitens obrumente, vel sedativa potestate vim nervosam fere suspidente, contingere nullus dubito.

*Agitationes convulsivae.*—A statu nervorum mobili fibras musculosas in contractionem ciente.

*Dolor capitis, clavus hystericus, vertigo, visus obnubilus, tinnitus aurium, muscarum, &c. simulacula.*—Interdum a ventriculi statu mala symptomatica sunt ; saepe vero e nervorum capitum actione anomala oriuntur.

*Lachrymarum fluxus, urinae limpidae copia immoda.*—Haec ab actione convulsiva arteriarum relaxarum secretionis renalis munere fungentium proficiuntur ; ille ab arteriis lachrymas profundentibus convulsione affectis derivatur. Praeterea, ex ill. virorum Sancto-

rii et Keili experimentis, multis aliis observationibus firmatis, ostenditur, perspiratione impedita urinam copiosiorem reddi.

*Incubus, somnus turbulentus, subitus, nec sponte, e somno motus vehemens.*—A perceptione molesta ventriculi flatu distenti, in mala sympathetica cerebrum trahente, et ex aorta compressa plethoram in partibus superioribus efficiente.

*Irritationis et ardoris sensus, cum mingendi desiderio in organis urinae.*—E nervorum statu mobili, et muscularum irritabilitate aucta, stimuli usitati impressiones vehementiores incutiunt.

*Salivae fluxus, sudores nocturni.*—A relaxatione generali, ob nauseam, caloremve sub stragulis coercitum, praecipue glandulas salivarias, corporisve superficiem afficiente.

*Pulsus debilis, parvus, frequens.*—Ex irritabilitate cor distentionem naturalem non patitur, et a debilitate sanguis, saepe tenuis factus, neque satis valide, neque copia qua debet, expellitur.

*Respiratio brevis, crebra, impedita.*—A ventriculi distentione pulmones comprimente; vel ab intestina inter et pulmones censensu; vel a perspiratione diminuta, accumulationem plethoricam in partibus internis faciente; omnibusve simul sumptis.

*Ventrismurmura, globus hystericus.*—Ab aëre extricato, in intestini coli flexura praecipue accumulato, et a motu antiperistaltico spastico sursum propulso.

Con-

*Convulsiones variae.*—A viribus naturae medicatricibus, ex caeca necessitate ad statum morbidum removendum renitentibus †.

*Spirandi difficultas, vox suppressa, pulsus fere incompertus.*—A spasmo fauces occupante.

*Ejulatio, lachrymatio, risus immodicus.*—Ex idiosyncrasia, vel aequa inexplicabili sympathia.

*Oculi clauduntur.*—Quia vis nervosa, neque animi imperio, neque stimulo corporeo, in musculos palpebrae superioris immittitur.

*Alvus asticta* —A debilitate solidorum, cum acidis et aëris extricati potestatis sedativis, canalis alimentarii irritabilitatem reprimentibus.

*Flatus coerciti, sphincter ani praeter naturam contractus.*—A spasmis variis intestinorum partibus defixis.

*Fabula absurda.*—Fortasse a cerebri collapsu †.

*Symptomata circiter mensum stuxum ingravescent.*—A sensilitate et irritabilitate, propter sanguinis ad uterum cursum majorem, et inde vasorum distensionem, auctis et alibi diffusis. Plethoram augere sensitatem, irritabilitatem, et igitur mobilitatem, e quantitate sanguinis insigni, ad sensus externos quatuor praecipuos, a corde emissa, et statu penis erecto, abunde manifestum est.

*Poſt*

† Hales's Statical Essays. Ubi a statu debili et inani, convulsiones oriri, experimentis clare demonstratur.

‡ Vide Cullen's Physiology.

*Post paroxysmum dolor, languor, laßitudo.* A convulsionibus vires vitae exhauriuntur, non secus ac ab omni exercitatione immodica.

*Dyspepsiae signa.*—Ab atonia generali, ventriculum praecipue afficiente, flatui et acido locum praebente.

*Dolores vagi, faucium et thoracis angustia, paroxysmi asthmaticis similes.*—E vi abnormi, sympathiae progenie, in habitu mobili, nervorum extremitates dolent. A spiritus vini tenuioris pauxillo, statum sanum novum morbidi loco inducente, syncope ingruens saepe statim avertitur, et manuum tremor abigitur. Statum igitur nervorum facile variare appetet. Ab eadem vi anomala spasmus in thorace subinde recurrit.

*Rubor faciei fugax, ardor subito excitatus.*—Ab actione topica arteriarum extremarum phlogiston evolvente †. Sed persaepe fallax caloris sensus est, et vi nervosae abnormi tribuendus.

*Vertigo ad vacillationem.*—An a mobilitate, potestate nocente, ventriculo praecipue applicata, celeriter aucta, et inde actione nervorum anomala oritur? A paralysi electricatione propere convalescentes, ob insitam agendi facilitatem, non debilitatis sensum, vertigine saepe correptos, et titubantes, vidi.

*Animus demissus, morosus.*—Quo debilius est corpus, eo plerumque minus audax, et ad adversa sustinenda aptus est animus. Intra debilitatis limites quosdam iracundior etiam est.

Tuf-

† Praeclarus Duncani Praelect.

*Tussicula sicca cum suspiriis.*—A sanguinis, vel languide propulsii, vel a ventriculo inflato in cursu suo per aortam impediti, vel a perspiratione impedita nimis abundantis et versus interiora impulsii, in pulmonibus accumulatione; vel a ventriculum inter et pulmones consensu.

*Pulsatio insignis.*—A debilitate et irritabilitate arteriae convelluntur, et sensus novus etsi levis, usitato quamvis multo vehementiore, magis molestus est.

*Amor effraenus vitae et voluptatum.*—Debilitatem et irritabilitatem corporis similem animi statum efficere, alibi declaravimus; et indulgendo, ut alia pathemata, amor sui crescit.

*Calorem generandi potestas minor, perspiratio diminuta, mensium fluxus immodicus vel suppressus, fluor albus.*—A majore minoreve irritabilitate, debilitate, et laxitate, cum sanguinis quantitate varia.

*Macies, cutis lurida, oculi tristes, spiritus foetidus.*  
—A vigiliis, ventriculi statu, et atonia generali.

*Icterus, tympanites, ascites, epitepsia, apoplexia.*—  
A ventriculi debilitate, sanguinis circuitu languido, et cerebri collapsu, hi morbi oriuntur.

*Antimi sensilitate praeditae, ab anno aetatis decimo quinto ad tricesimum quintum, virgines viris maturae, sine prole nuptae, viuuae juniores, urbanae, saepius hysteria correptae.*—Propter arctum hos status inter et plethoram vel mobilitatem nexum.

*Virgines aspere patiuntur.*—Convulsiones ob vigorēm vehementiores sunt. α

*Pro paroxysmo regulae congruente saepe syncope.—  
Si collapsus ultra limites quosdam procedat, vires me-  
dicatrices reniti non possunt.*

*Colica, dysuria, ischuria.—A canalis intestini et  
instrumentorum urinae irritabilitate, et instrumenta  
urinae inter et canalem alimentarium, et genitalia  
consensu.*

Partes ejusdem corporis diversas inter se, et cum  
animo, cui domicilium praebent, consentire, etiam si  
modus operandi nos lateat, vix mirum est. Sed sym-  
pathia inter animos diversos, qua status animi varii,  
ab auctore ill. Smith ornate depicti †, expedite com-  
municantur, et morbi similes excitantur, vere mirabilis  
videtur.

### D I A G N O S I S.

Si hysteria et mala cognata diligenter perpendan-  
tur, plerumque facilime dignosci possunt. Quamvis  
hysteriae et hypochondriasi symptomata multa in-  
terdum communia deprehenduntur, tamen plura cui-  
vis propria insignem testantur distinctionem. Hypo-  
chondriasis inter et hysteriam regulae congruentem,  
vix major, ni fallor, quam rabiem caninam inter et  
hypochondriasis, similitudo appareat; praeterea sagaci-  
tate ill. auctoris usitata, in ordinibus nosologiae me-  
thodicae diversis, locos hi morbi sortiti sunt. Tamen

con-

† Theory of moral sentiments.

confuetudini, hoc seculo sensum communem et omnia praegravanti, obtemperans, inanem laborem fortasse impensurus sum. In hysteria regulae congruente convulsiones manifestae, in hypochondriasi nullae occurunt. In illa sensus globi ab imo ventre ad fauces ascendentis percipitur; in hac dolor plumbeus, circa hypochondria, vere immutabilis sentitur.

In malo hysterico respiratio ad suffocationem usque intercepta, cum faucium strangulatione vehementi, et voce perdita observatur. A malo hypochondriaco haec symptomata sunt longe remota. His superaddi possunt omnes notae, quibus hysteria anomala ab hypochondriasi dignoscatur.

Majoris momenti est hysteriae anomalae ab hypochondriasi discrimin.

Morbus muliebris, a pubertate plerumque ad tricessimum quintum aetatis annum, hysteria infestat. Morbus virilis, ab anno quadragesimo praecipue ad vitae finem, hypochondriasis affligit. In hysteria animi deliquium saepe, in hypochondriasi vix unquam, occurrit. Hystericae per intervalla valetudine alacres fruuntur. Hypochondriaci immutabiles, moesti, et anxii observantur. Hysteria a dyspepsia saepe, diu vexans, vacat. Hypochondriasis malum ventriculi insolitum quasi nuncius semper praecedit et denotat. Hysteriam saepe potestates nocentes statim excitant, hypochondriasis gradatim saepe iteratae inferunt. Hysteria eas, temperamento sanguineo jam depicto, exquisitaque generis nervosi sensilitate praeditas, invadit. Hypochondriasis

driasis eos, qui temperamentum melancholicum, quod sanguineo omni prorsus re ex diametro oppositum esse supra demonstravimus, nocti sunt, excruciat. Postremo, calor et regimen stimulans, hysteris noxia, hypochondriacis salutifera sunt; et contra, frigus, et sine stimulo tonica, in hysteria prodest, a Cullenio semper venerando in hypochondriasi nocere comperta sunt.

Proxima considerandam fese offert epilepsia. Epilepsia securitatem stabilem, extra paroxysmum, quasi comitem habet. Hysteria animum desperantem et varium sibi adjungit. Hysteris animi deliquium saepe, epileptics vix unquam, imminet. Illis vigiliae, dolores vagi, et tussicula sicca saepissime, his perraro, contingunt. Sensibus internis et externis abolitis, et motibus convulsivis generalibus, epilepsia stipatur. Convulsionibus topicis, motu corporis trunci in gyros coacto, sensibus semper, nisi delirio post paroxysmi tentationem ingruente, integris, hysteria distinguitur. Circa os spumam plerumque epilepsia, nunquam hysteria laborantes habent. Globo hysterico ascendent, et stranguanti, nihil simile in epilepsia observatur. Epilepsia laborantes eorum, quae circa se acciderint, ignarae sunt, sed hystericae, dictorum, gestorumque, nisi delirio perstante, bene meminerunt. In epilepsia digitii in pugnum collecti volas manuum fortiter impriment, et vix magna vi extendi possunt †; sed in hysteria

† Observatores exquisiti Hoffmann, Stahl.

ria liberi vacillant. Signa jam enumerata, si mulieri antea hystericae aliter eveniant, malum in epilepsiam hysterica mutatum, luculenter, me judice, demonstrant.

Proxima syncope notanda est.

Syncope hysterica † a syncope vera differt; quia in hac pulsus penitus cessat, in illa languidus remanet. In syncope hysterica, respiratio motu flocci lanae vel pennae levis ori admoti, vel halitu in speculum nitidum percipitur; sed in syncope vera, nisi versus finem progrediente, nullis artibus detegitur. Syncope hysterica plerumque longe diutius quam syncope vera durat, et huic sudores frigidi, cum pallore faciei maiore, proprii sunt. Syncopen hysterica facile, veram vix excitant pathemata. Syncope hysterica correptae animum varium et mutabilem, ventris plerumque murmura, urinae limpidae copiam profusam, saepe globi in abdomine volventis sensum, cordis palpitaciones, agitationes in corporis partibus exiguis convulsivas, vertiginem, aurium tinnitus, vigilias, dolores vagos, et saepe tussiculam sicciam, patiuntur; syncope vera autem affectae nulla similia experiuntur.

Hysteriam et phthisin pulmonalem inter similitudo nulla fortasse videbitur. In hysteria tamen sanguinem iterum iterumque detraetum, hunc ob errorem, se vidisse

† Vox impropria usitata vix obsolescit.

vidisse ill. Prof. Gregory junior nuper bene monuit \* : Quaeque ipse semel atque iterum vidi. Pauca igitur de hysteriae anomalae a phthisi pulmonali discrepan-  
tia dicere liceat. In hysteria tussicula sicca et fre-  
quens, in phthisi pulmonali tussis plerumque humida  
et rarer est. In hac animus stabilis et audax, in illa  
varius et depresso est. In phthisi pulmonali dolor  
pectoris circumscriptus et fixus; in hysteria diffusus  
et fugax. Accessiones febriles, hecticis similes, in hy-  
steria a debilitate pendentes, minus regulae congruen-  
tes, quam in phthisi pulmonali, inveniuntur. Hyste-  
ricas animi affectus multum, phthisicas paululum tur-  
bant. Hystericis calor nocet, phthisicis prodest. Ven-  
tris murmura, urina profusa, globi saepe sensus, agita-  
tiones in partibus exiguis convulsivae, vertigo, tinni-  
tus aurium, dolores vagi, symptomata vere hysterica,  
a phthisis pulmonalis signis prorsus sunt aliena.

Morbus unus, haud facile ab hysteria anomala dig-  
noscendus, arthritis sub figura anomala atonica ado-  
riens, notandus adhuc restat. Arthritis seniores ro-  
busta valetudine gaudentes, hysteria juniores tenerio-  
res maxime tentat. Arthritis dyspepsiam comitem,  
hysteria nullam, sibi vindicat.

Faucium et thoracis angustia, tussicula sicca, globi  
in abdomen sensus, singultus proprius sonorus hyste-  
riam indicare conspirant. Mala hysterica mulieres  
saepe, arthritica raro experiuntur. Potestatibus igitur

iisdem

\* Praelect. Clin.

iisdem nocentibus utrumque morbum excitantibus, et iisdem fere remediis utroque morbo auscultante, foeminis vel a parentibus arthriticis ortis, morbum incipientem pro hysteria admittere, forsan sapientius erit.

Hoc in loco observare etiam liceat, multas pueras et mulieres, sortis praecipue melioris, varias ob causas, hysteriam, more quodammodo pantomimico, adeo bene fingere, ut dolus a cognatis et medicis vix detegi possit. De hac re sic loquitur auctorum apud foeminas facile princeps :

“ The colick, in the stomach I mean, is a clean genteel distemper, and by no means below women of the first fashion.”

Discrimen hic, ex potestate nocente, ex aegrotae animi statu et moribus, ex ludis publicis, aliisve rebus exoptatis, et denegatis morbum aggravantibus, artibusq;e similibus, patefacere conandum est.

### P R O G N O S I S.

Non multum discriminis, nisi per alios morbos existiales, quos in sodalitum trahat, hysteria alit ; sed terrorum multum incutit ; et, quoniam mens ipsa, unde maximum expectandum est praesidium, laboret, morbumque foveat, curationem saepe eludit. Quo junior hysterica est, eo spes major ; hysteria enim impuberem adorta, haud raro circa pubertatem terminatur. Malum ante nuptias aggressum, saepe ubi parere incipit aegra, statim definit. Mobilitas sub aetatis incremen-

to emendatur; et igitur morbus, hactenus rebellis, non raro sine ope cessat. Mala hysterica non modo cursu annorum, plethoram et mobilitatem, genitalium praecipue, minuente, sed mutatione locorum, dietae, et vitae regiminis, sine multa remediorum et medicorum ope, sanata fuisse, crebris constat exemplis. Quo saepius malum invadit, quo vetustius est, quo graviora symptomata excitantur, quo respiratio et pulsus magis afficiuntur, quo altiores radices seminum fixit, quo leviores sunt potestates nocentes quae paroxysmum inferunt, quo magis imbecillis et valetudinaria hysterica est, quo magis animus demissus, et quo paroxysmi diutius durant, eo periculosius et rebellius observatur. Hisce autem contraria, minus periculi, et sanationem faciliorem indicant. Morbus a mobilitate illa pendens, quae ex inanitate magis quam e plenitudine oritur, plus habet periculi. Si malum a potestatibus nocentibus facile evitandis, liquoribus scil. spirituosis, thea, &c. originem trahat, facile, si ab aliis, amore sine spe, notionibus venereis, &c. aegre admodum summovendis, difficile, curationem accipit. Si sensilitas adsit exquisita, aetas proiecta, ac ipsum malum haereditarium, et temporis diuturnitate in pertinacem habitum degeneratum, illud penitus sanare forsan impossibile, levare perarduum erit.

“ Naturam expellas furca licet, usque recurret.”

Judicia terminationis lethalis sint cauta et diu perpenfa; plures enim pro desperatis habitae convaluerunt.

runt. Talibus tamen convalescentibus, quod facile hysteriam recidivam mulieres patientur, solamen solum plerumque est promittendum.

Spes sanationis in hysteria raro penitus abjicienda; et, quando curationi non obstat labes haereditaria, animus iners et indocilis, vel corpus morbo vel gravibus annis confectum, re familiari idoneorum remediorum facultatem praebente, morbum assiduitate et tolerantia in regimine apposito profligari, plerumque, ut videtur, cum fide promittendum est.

### C O N S I L I A M E D E N D I \*.

Nunc ad ultimam hujusce opusculi partem, scilicet hysteriam curandi rationem, perventum est. Consilia huic aptissime accommodata in quatuor sequentia sese resolvunt.

1. Seminii et potestatum nocentium effectus noxi-  
os praecipuos praevertere, vel modicos reddere.

2. Potestates nocentes evitare, praevenire, summo-  
vere, vel corrigere.

3. Seminium diminuere, vel penitus amandare.

4. Symptomata quaedam morbum augentia, vel  
curationem impedientia, mitigare vel amovere.

F

Ab

\* De hysteria symptomatica nihil dicere volo. Sed morbus diu symptomaticus, primario tandem amoto, ex consuetudine, aliisve causis, idiopathicus manere potest. Tales igitur in hoc loco considerare necesse est.

Ab hysteriae causis earumque effectibus rite persensis, haec curandi consilia, ni fallor, dilucide oriuntur. De primo:

Ex causis hysteriae, haec mala notabilia, paroxysmus regulae congruens, syncope hysterica, et colica symptomatica sequuntur. Ad consilium igitur hoc implendum, imprimis utilia sunt antispasmodica †, et stimulantia. Si symptomata praenuncia paroxysmi regulae congruentis syncopes vel colicae sentiantur, utilitas stabilita his malis obviam eundi, aequa ac dolor et molestia, idem facere clare et potenter jubent. Augentur enim talibus malis solidorum atonia et mobilitas; unde et ex confuetudinis pertinacis potestate, recursus frequentiores vel rebelliores evadunt. Si hysteriae regulae congruentis sit species fausta, scil. ex mobilitate statu plethorico stimulata, sanguinis detractio indicata videretur. Detractio sanguinis fluidorum quantitatem rapide minuit, tensionem et aequilibrium vasorum celeriter mutat, et igitur, opportune si facta fuerit, omnibus antispasmodicis plane palmam praeripit. Praeterea, antispasmodica, postea forsan praescribenda, tutiora reddit et efficaciora, sublato scilicet insigni stimulo.

Sed hoc remedium vix unquam iterari debet; quia corpus laxando, id plenitudini reddit magis obnoxium ‡. Per intervalla ergo exercitatione aucta, et  
victu

† Per hoc vocabulum potentiora antispasmodica, sedativa nuncupata, etiam intelliguntur.

‡ Cullen's First Lines, &c.

victu parco, status plethoricus potius tollendus. Si mobilitas a plethora vacet, praecipue si ex inanitate pendeat, sanguinis detractio summe perniciosa est.

Accessionem ingruentem saepe avertunt, felici cum eventu, antispasmodica.

Inter haec spiritus aethereus vitriolicus, opium, hyosciamus, moschus, camphora, asafoetida, alkali volatile, cicuta, electricitas, rhododendron chrysanthum, valeriana silvestris, animi affectus, semicupium, pediluvium, maniluvium, et fatus, optima videntur. De his, sigillatim sumptis, jam proxime pauca dicenda sunt.

*Spiritus aethereus vitriolicus.*—Pro remedio palmario in morbis convulsivis spiritus aethereus jure habetur ; et vires ejus antispasmodicae indies magis enitere videntur. Haud raro aura epileptica, paroxysmum appropinquantem demonstrante, progredi adhibitus vetat. In malo hysterico feliciores etiam eventus, quam in epileptico, edit. Laus liquoris anodynus mineralis Hoffmanni, quatenus veritati consona, huic remedio debetur. Liquor enim anodynus, nihil nisi spiritus aethereus in spiritu vino diffusus, fuisse videtur †. E vi stimulante, narcotica fortasse vacua, atonia nulla, qualis ex opio aliisque, relinquitur. Spiritus hujus usus externus, in doloribus abigendis, a plerisque laudatur ; et vomitum et singultum, symptoma clare convulsiva, ab eo ventriculi regioni applicato,

† Cullen's Materia Medica.

cato, brevi et feliciter, quasi carmine amoveri, quo non observantior alter Duncan testatur †.

*Opium*—In usum a plerisque opium frequenter advocatur, et revera effectibus non sine praestantissimis. Cura tamen opus est maxima, ne usu per frequenti atonia et sensilitas augeantur. Inter potestates nocentes enumeratum opium, noxa paroxysmo minus perniciosa habendum sit.

*Hyoscyamus*.—Hic pari ac opium ratione agere videtur. Sedativa haud aspernanda vi potitur; et celebri Duncan extractum administrante, rarius quam opium caput turbare observabatur ‡. Praeterea, in hysteria, potestate potius laxante gaudens, opio iterato longe utilior appareat. Auctor vere gravis Whyttius, se ejus extractum cum fructu administraffe asseverat.

*Moschus*,—Vires forsan omnium efficacissimas possident purus et genuinus moschus; sed summa cum difficultate talis comparatur, et nimio pretio, et ideo nunc raro praescribitur.

*Camphora*—De virtutibus camphorae antispasmodicis maximis, ab ill. Hope, artis Apollinaris exercitatione sagace publica, pervulgatis et stabilitis, inter multos convenit. Effectus autem ejus admodum incerti cognoscuntur, neque semper periculo carent; quippe qui a parva quantitate interdum vehementissimi, a largiore aliquando parvi omnino, observantur. Vires sedativas

† Praelect. de aegrot. chron.

‡ Ibid.

tivas fortes et utiles maniaci saepe experti sunt ; et per pauca remedia corporum status diversos melius demonstrant.

*Asafoetida*.—In locum aliorum gummi foetentium, non absque gravi causa, asafoetida suffecta est.

Potestates ejus salutiferas quotidianus in spasmis intestinorum usus docet. In hysteria perutilis est ; flatus expulsioni favet, distentionem exinde prohibet, alvum leniter solvit, et saepe iterata damnum corpori vix infert.

*Alkali volatile*.—Eodem fere modo alkali volatile optimos edit effectus. Sed, acido saepe irritanti obviam eundo, vires celeriter exhauriuntur, et haud facile quantitas ejus satis larga tuto exhibetur.

*Cicuta*.—Velut opium sensilitatem minuit, animum exhilarat, et effectus alias narcoticos edit. Has vires possidens, cur in hysteria neglecta sit, vix ratio danda est. Insuper, potestatibus tonicis valde aestimandis gaudere existimavit vir clarus Clerk †, et idem adhuc docet sagax Hope ‡. In pertussi saepe, rheumatismi statu irritabili nuper, felices effectus in medium prodidit §. Ex omnibus simul sumptis, quare neque ad paroxysmum praeverendum, neque tollendum semi-nium, in usu publico, quatenus scio, adhibita fuerit, non parum mirum est.

Elec-

† Vide Phys. Essays, de arthritide anomala imperfecta.

‡ Praelect. Botan.

§ Praeclarorum virorum Homii et Duncani Praelect. ; Butter on Kinkcough.

*Electricitas.*—In hysteria ignis electrici usum multi mirabuntur, et fateor non sine gravi causa. Qui cunque vero celebris Duncani afflervationem, scilicet, electricitatem haud minus efficacem existeret, ad sensum nimium et morbidum minuendum, quam ad restaurandum debitum sensum corpori praeter naturam torpenti, audiverit \*, et usu fausto publico saepe repetito stabilitam, testis oculatus viderit †; potius cur in hysteria raro electricitas applicata fuerit, mirum existimaverit. In tetano et trismo, spasmos solvendi vires efficaces electricitas, Doctoribus Watson et Spry administrantibus, exeruit.

Ferguson praeclarus gastrodyniam per succus electricos sustulit ‡. De Haen eruditus choream St. Viti, morbum convulsivum a debilitate pendentem, electricitate saepe curavit §; et hoc anno celebris Home, istiusmodi exemplum unum, eodem remedio, quasi principe profligavit ||. Lindhout epilepsiam igne electrico amovebat ¶. Illust. Hope morbos convulsivos, atque hysteriam ipsam, electricitate haud raro olim consopiebat ††. Forsan igitur usus ejus in valetudinario Edinburgensi, ob rotae electricae saepe fractae incommoda, omisitus fuit. Machinae ad valetudinarium pertinentis statui imperfecto, vel simili causae fortasse,

\* Praelect. de mult. aegrot. chron. et Cases and observations, &c.

† Ibid.

‡ Introduction.

§ Ratio medendi.

|| Edinb. Infir. Reg.

¶ Med. Comm.

†† Edin. Infir. Regist.

fortasse, etiam tribuendus est ignis electrici in paralyse  
inanis successus. Clarus enim Duncan, electricitatis  
admodum avidus, longe feliores effectus in medium  
profert. Wesley hysteriam electricitatis usu sustulit †.  
Mulier irritabilis conjugata, sine prole tamen vivens,  
morbum a cognatis scientiae medicae imperitis, colli-  
cam mihi nominatam, saepe experta est. Multis re-  
mediis in paroxysmo uno incassum tentatis, succus  
electricus unicus malum statim abegit.

Neque metu solo agere videbatur; morbus enim  
iterum atque iterum recidivus, succusu uno vel altero,  
ad curationem usque perfectam, semper profligatus  
fuit.

*Rhododendron Chrysanthum.*—Hoc remedium narco-  
ticum Siberiae luxus nobis suppedavit ‡. Vires ejus  
sedativas patefecit eruditus Home §. A viribus hisce,  
cum auxilio nuper rheumatismi statu irritabili labo-  
rantibus, sub doctoribus Home et Duncan tractatis,  
praebito, usum in hysteria mihi proponere liceat. In  
genus nervosum sicut opium agere videtur; hinc ner-  
vis rheumatismo praecipue laborantibus formicatio  
communicatur ||. Formicatio, curationem sequentem  
indicans, dilucide sentiebatur et clare depingebatur,  
a quibusdam aegrotantibus, per peritos Home et Dun-  
can tractatis.

Valerianus

† Desideratum.

‡ Medic. Comm.

§ Clin. Exp.

|| Duncani Praelect.

*Valeriana silvestris*.—Post Fabii Columnae, herbarum periti, epilepsiam fugatam, valerianae fama increbruit. Virium in feles non expers est; harum enim cerebrum vehementer turbat.

Hae, ex omnibus animalibus domesticis, morbis generis nervosi saepius laborant; et forsan hanc ob causam, valerianam, natura jubente, appetunt. In speciem humanam, nunc dierum, ullos vix edit effectus; et, nisi capitis dolore urgente hysterico, felici cum evenitu, a paucis, praeter admodum fortunatum De Haen, adhibita est. Forsan tamen quantitate exigua herbae male siccatae, eventus faustus saepe frustratus fuit.

*Animi affectus*.—Tum excitantes tum reprimentes, quamvis natura sibi invicem oppositi, in hoc morbo saepe prosunt, aequa ac utriusque generis remedia externa, scilicet stimulantia et sedantia Timoris potestatem, in domo qua pauperes ex eleemosynis publice aluntur, in civitate Harlemoni, eruditus et sagax Boerhaavius demonstravit. Ingens autem et subitus terror, ni fallor, semper evitandus est, et potius minis futurorum periculorum, nisi contra morbum vires ipsa exerat maximas, terreatur aegra, quam malis imminentibus. Male vero, et contra tum linguae usum tum experimenta, pro tonico remedio habetur timor. Opium veluti, vel quodvis aliud validum remedium, impressionem fortem efficit; et si a futuro periculo adultis incumbente, vel a praesente aut praeterito, quod pueri a futuro male distinguere solent, vel cuius repetitionem a levissimis causis metuunt, oriantur,

tur, plerisque aliis longe diutius durat, et in hoc solo, ut mihi videtur, iis antecellit.

*Semicupium, pediluvium, maniluvium, et sotus.* — Haec remedia laxando, et sensus gratos generi nervoso communicando, in morbis convulsivis et spasticis, summa commoda pollicentur; et ab erudita antiquitate, ill. Whyttio nuper, aliisque, multis laudibus accumulantur. Quamvis seminium saepe iterata augeant, tamen paroxysmo obviam eundo, mala paucorum tentaminum ample rependunt, et vereor ne nimis spreta sint.

In paroxysmi remissionibus, nisi faucium angustia, nil in ventriculum transire admittat, antispasmodica hystericas bono cum successu propinantr. Si vero contractio fortis prohibeat, enemata ex antispasmodicis facta tentanda, et in quantitate permagna injicienda sunt.

Interea, per frictionem fauibus et abdomini adhibetur spiritus aethereus, essentia Ward, vel balsamum anodynum; exhibetur ignis electricus; naribus antispasmodica stimulantia, praecipue alkalina aut foetida, admoveantur; et antispasmodica relaxantia, usui externo accommodata, in usum advocentur. Haec postrema in paroxysmo mensium adventum praegrediente, mensium fluxum, spasmum solvendo, accelerabunt, et symptomata magnopere igitur levabunt. Ligamina ampla circa abdomen mulierum notionibus concedenda sunt; praeterea intestinalorum partes distentas compressione sua cum fructu sustinent.

Antispasmodicorum natura sagacitatem hominum adhuc eludens, usum eorum empyricum, animo humano ingratum, et minus utilem efficiat, necesse est. Hinc quibusdam ex omnibus pro morbi stadio, aegrotae habitu, &c. electricis, fidere non audemus; sed plerisque incassum exhibitis alia jubemus, et, simplicibus nil proficientibus, ad composita genus nervosum alia atque alia ratione afficientia, impressione scilicet mutata, confugimus.

Ad syncopen praevetendam, aut quam brevissimam reddendam, ratio similis tentanda; sed spiritus aetherei, asafoetidae, alkali volatilis, ignis electrici, et artibus extremis frigidis, externorum relaxantium usus imprimis periclitandus est.

Ut colicae incipienti obviam eatur, vel eadem praefens mitigetur ac tollatur, consilia paria convenient. In colica vero, enemata laxantia et anti-spasmodica, praecipue ex opio, spiritu aethereo, et asafoetida composita, ignis electricus, spiritus aetherei usus externus, semicupium, et fatus, optimos pollicentur effectus. Si vomitus premat, enemata et pilulae ex opio, semicupium, spiritus aethereus, et haustus effervescentes anodynii, praecipue indicata sunt.

Enemata simpliciter laxantia, nulla scilicet vi anti-spasmodica gaudentia, ex oleo ricini, sale communi, terebinthina, vel senna, aliis preferenda. Si haec omnia remedia nihil juverint, quod raro occurret, post vomitum infusi senae limoniati Ph. Lond. quantitas exigua, saepe repetita, pulvis e jalappa compositus Ph. Edin. oleum ricini, pulvis e jalappa cum mercurio dulci,

dulci, cathartica in colica, ut videtur, optima, in ventriculum recipienda sunt.

Emplastra epispastica, vel cataplasmata antispasmodica, remediorum magis potentium usum diu impudentia, plerumque despicienda.

2. Potestates nocentes evitare, praevenire, summovere, vel corrigere.

De hac re, per se quadantenus manifesta, tempus et dissertationis limites, quaedam imprimis memoratu necessaria, et observatu digna, leviter dici solummodo concedunt.

*Amor.*—Ad amorem evitandum et praeveniendum, libri, et de hoc pathemate colloquia, fugienda. Ad amorem summovendum vel corrigendum, modi similes usurpandi, et impressiones ab externis, quae animalium dirigant, ne intus spectet, et alta vestigia ibi relicta pervolvat, appetendae sunt. Victus minimum stimulum praebens, et exercitatio ad laborem in confortio amoeno aucta, fructum pollicentur optimum. Ex omnibus otia minus fovenda; de quibus Ovidius sententiam suam sic expressit † :

“ Haec, ut ames, faciunt; haec, ut fecere, tuentur :  
 “ Haec sunt jucundi causa, cibusque mali.  
 “ Otia si tollas, periere cupidinis arcus,  
 “ Contemptaeque jacent, et sine luce, faces.”

Rousseau similem tradidit opinionem ‡ .

“ On

† Remedia amoris.

‡ Emile, tom. 3. p. 142.

“ On a fait Diane ennemie de l’amour, et l’allegorie est très juste ; les langueurs de l’amour ne naissent que dans un doux repos ; un violent exercice étoffe les sentimens tendres.”

*Notiones venereae.*—De notionibus venereis, remedia similia necessaria, et optima sunt. Lascivos sermones et lectiones de rebus venereis aegrotæ sedulo vitent. Notiones venereæ sine amore saepe inveniuntur ; sed hic contra plerumque ab illis comitatur. Virginibus et viduis hystericis, sine discriminâ, matrimonium praescribendi mos summe, ni fallor, pernicius prævalescit. Quid enim exinde sequitur ? Matrimonio apto raro oblato, et solicitudinibus inde, et notionibus venereis, ad nymphomaniam usque fortasse auctis ; libidini et bonae valetudinis recuperandæ desiderio effraeno succumbere tandem coactæ, nuptias per vitam lugendas contrahunt, vel in venerem illicitam sese proclives exhibent. Insuper, hystericis ex inanitate et debilitate, matrimonium non solum remedium ambiguum, sed caute evitandum mihi apparet. Si vero mobilitas a plethora, et potestate valida nocente, praecipue amore vel notionibus venereis pendeat, nihil certius, tutius, celerius, aut jucundius morbum profigare promittit. Ex his omnibus, matrimonium, malo hysterico laborantibus nunquam, cognatis circumspectis interdum commendandum, et saepe oblatum recusandum esse videtur.

*Metus.*—Nil de metu, nisi ideas per associandi facultatem inter se connexas, semper dissociari oportere,

tere, dicendum restat. Ad hunc finem vitae rationis, lecti praecipue mutatio, noctum sub paroxysmis et solicitudinibus insomnium theatri, summum pollicetur commodum. Ex eodem principio, medicamenta inutilia, vel noxia existimata, omittenda, vel in aliam speciem mutanda esse, dilucide sequitur. Huic scopo inserviens etiam peregrinatio, minimos suos salutiferos non edit effectus.

*Thea, coffea, &c.*—Liquores tam gratos deponere, animo invito mulieres saepe coguntur; sed gravi sine causa.

“ Quem fata cogunt, ille cum venia est miser; at  
“ si quis ultro se malis offert volens, seque ipse tor-  
“ quet, perdere est dignus bona queis nescit uti.”

*Ingesta acida.*—Omnia vegetabilia magis minusve acida qualitate gaudent, sed alia aliis longe noxiora sunt. Ex egregii Whyttii experimentis, vina quaedam, cerevisiam, praecipue tenuem, succum pomorum fermentatum, mel apium, fructus horaeos, sive recentes sive exsiccatos, &c. multum aquae calcis vim lithontripticam imminuisse,clare elucet. Aliorum observationes recentiores acorem rectiore via demonstrant. His igitur, et aliis similibus, utpote perniciose acidis, in hysteria uti non oportet.

Ad acorem summovendum usurpanda sunt emetica, et horum, quoniam lenissima, infusum theae viridis, florum chamaemeli, vel foliorum cardui benedicti, pulvis seminum sinapis, et tinctura ipecacoanhae, optima esse videntur. Emetica saepe iterata ventriculum

lum debiliorem reddent; acidum igitur corrigere saepe  
necessse est. In hunc finem absorbentia, qualia sunt  
alkali fixum mite, alkali volatile, lixivium causticum  
majore cum cura administratum, bilis animalis, oculi  
cancrorum, creta p.p. aqua calcis, et cum acido con-  
juncta catharticum laxans, magnesia genuina usta †;  
atque etiam demulcentia, extractum glycyrrhizae, et  
mucilago gummi Arabici spissa, felici cum eventu ad-  
hibentur.

Ut acori obviam eatur, diaeta bene eligenda est; de  
qua paucis postea mentionem faciam.

*Inflantia* — Doctissimi Hales experimenta aliorum  
observationibus firmata, plurima vegetabilia, et inde  
parata, aëre scatere demonstrant. Ex his pro acidis  
memorata, faccharum, legumina, et panis calens vix e  
clibano extractus, cum multis aliis jure recensentur.  
Haec ergo, praecipue acida inflantia, cane pejus et  
angue evitanda sunt. Flatui summovendo stimulantia  
aromatica et foetida, aqua menthae piperitidis, aqua  
cinnamomi, spiritus lavendulae co[m]positus, nux mos-  
chata, caryophilli aromatici, zingiber, semina cori-  
andri, oleum anisi, semina cardamomi minoris, spiri-  
tus aethereus, et asafoetida, bono cum successu inser-  
viunt.

Flatus evolutioni occurrenti modus ad vietus ratio-  
nem, posthac leviter notandam, spectat.

In-

† Philosophi vere magni; Black's experiments, &c.

*Ingesta quantitate nocentia.*—Fausta mutatio gradatim fiat; et meliorem regulam generalem, quam illam de dyspepsiae curatione, a Prof. Gregory juniore prolatam, nempe, “tenuem plerumque divitibus diaetam, lautam pauperibus prodeſſet,” me ignorare fatendum est.

*Alvus astricta*—Huic optime succurrit diaeta; sed in hoc morbo vegetabilia recentia acida, et fluida fermentescentia, potestate cathartica imprimis gaudentia, utpote perniciosa deponenda. Omnium remediorum domesticorum panis crassus, in fermentationem acidam paululum proiectus, praestantissimos edit effectus. Sic factus vix fermentationem vinosa sustinet, ventriculum celeriter pertransit, intestina crassitie praeципue, sed etiam acore stimulat, et inde alvi solutionem gignit. Praeterea, nimios vel haud sufficientes perraro edit effectus. Cathartics a medicis, qui humorum pathologiae totam fere operam dederant, usitatis, nunc dierum procul amotis, laxantia absorbentia, solutu difficultia in intestina crassa praecipue igitur agentia, et potestate astringente insigni praedita, saepe in hunc usum advocantur. Magnesia usta, flores sulphuris loti, pilulae aloeticae simplices, vel cum aſafoetida, rheum in ore manducatum, tinctura rhei amara, elixir ex aloe et rheo, optima non sine jure existimantur.

Ex animalibus depromitur victus alkalescens, vegetabili acescenti penitus oppositus, et aëre etiam multo minus scatens; victum animalem igitur solum, vel maxima

† Praelect. Clin.

maxima ex parte, vegetabili plerique anteponunt. Sed huic consuetudini multa valide objici possunt, et inter haec ea quae sequuntur.

1. Liberiorem cibi animalis usum insequi saepe plethoram, experientia testatur; et inde princeps morbi causa augebitur.

2. Cibus animalis ventriculum, et quidem totum corpus, magnopere stimulat, febrem generis proprii gignit, et igitur mobilitatem auget, et saepe paroxysmum inducit.

Argumentum ab effectu putrescente diaetae animalis praetermittendum esse duco. Scorbutum enim a cibo animali, dyspepsia persistente, inductum esse, incredulus saepe audivi. Hoc malum sequi dyspepsiae curationem, victu animali diu suppeditato, facile credendum est; et hoc modo solo, ut mihi videtur, exempla omnia prolata explicanda sunt.

E primo arguento, in hysteria a plethora praecipue pendente, cibo animali pleno nihil exitiosius dari posse, colligere licet. A secundo, hysteris debilibus et depletis, excitatu facilibus, cibus animalium laetus summe perniciosus appareat. Quo magis plethorica, vel depleta hysteria sit, eo majore cum cura cibi animalis usus permittendus est. Ad ventriculum debilitatum roborandum, cibus animalis praecipue valet; et igitur necessarius est. Huic tamen scopo quantitas exigua cibi levis dicti, semel indies, vel alternis diebus, nisi exercitatio ad laborem augeatur, optime infervit. Cuniculus, lepus, columba, perdix, scolopax,

sclopax, et aves pleraeque aliae indomitae, et fere omnes domesticae, leves jure censentur. Carnis agninae, ovillae, et bubulae usus parcus saepe etiam admittendus est. Bovis nondum nimis annosí caro solitu facilior invenitur. Vitulinum enim gluten, et vetustorum animalium rigida compages, vasis multis occlusis, ne separentur fibrae, prohibent. Ex hac postrema re, causa, quare pars musculosa animalis pinguis, parti simili macri sedulo anteponenda sit, satis clare patet. Elixa, quoniam minus oleosa, et partibus diversis similiter igne parata, facilitiora assis concoctu a debilibus, medicis aliter monentibus, inveniuntur. Opus pistorum, frixa, &c. mediante butyro seu oleo, concoctioni officiente, sedulo semper fugienda. Neque jusculta, fluida fermentescentia et acescentia, tuto admittenda. Alimenta falsa, propter stimulum lenem, et corruptiōnem incipientem, saepissime felici cum eventu, simul cum vegetabilibus, sumuntur. Salem communem, modica quantitate, ill. Pringelius putredini favere inveniebat †; et ventriculo laborantes, natura duce, bonis avibus, plerumque appetunt. Insuper, salis usu Finni fortes et bellicosi, dum Groenlandi ei insueti, plagas septentrionales prorsus similes incolentes, debiles et invalidi observantur ‡. Bene itaque expectandum est, sale communi dyspepsiam hysterical magnopere levatum iri.

Ova avium multarum post ignis actionem sorbilia, plerumque facile digeri queunt.

H

Pisci-

† Appendix to Diseases of the Army.

‡ Homii Praelect. Util. de Mat. Med.

Piscibus fere omnibus, utpote oleosis, vel glutinosis, et nimis alkalescentibus, ventriculus maxime gravatur; et, quod mirum videtur, post nullum cibum, citius cardialgia in ventriculo debili sentitur.

“ Sincerum est nisi vas, quodcunque infundis acescit.”

*Lac.*—Inter nutrimenta vegetabilia et animalia, locum habet lac. Ex omnibus rebus diaeteticis, nil maiores nec immeritas laudes quam lac acquisivit. Nutrimentum assimilatu facile, optimum, roborans, sine stimulo praebet. Lac asinimum, vel equinum, vaccino utpote minus acescens, nullis coagulis conglutinandum, minus oleosum, et nullis artibus in butyrum convertendum, semper preferendum est †. Si diaeta lactea ventriculum gravet, post stagnationem lactis detrahatur flos ejus, et lacti aquae calcis pars mensura dimidiata addatur. In hujus misturae usu paulisper aegra persistat, et felici cum eventu plerumque grata evadet. Ex hysteriarum quarundam ventriculis, sed raro, lactis coagula rigide compacta in ora ascendunt; et hunc cibum, tentamine aequo perfecto, illis deservendum plane ostendunt. Ex lacte nil paratum, nisi caseus vetustus et semicorruptus, in hysteriarum diatem ingredi oportet.

Ex vegetabilibus, imprimis cerealia, in farinam redacta, usurpanda sunt, et caeteris longe antecellunt.

Omnia

† Celeb. Young de lacte.

Omnia digeri facillime, quae in aqua promptissime resolvuntur, et vice versa, experientia constat. Omnimur ad panem conficiendum, usitatissimum, apud melioris sortis homines, est optimum triticum. Hoc post fermentationis, et ignis hesterni actionem propriam, fermentationis redintegrationi minus obnoxium, et concoctu facillimum fit.

Ex vegetabilibus etiam parca manu usurpanda sunt olera; imprimis cynara, brassica, praecipue cauliflora tenera, celeri, asparagus, spinacea, et beta. His solani esculenti tubera farinosa, vulgo battata, addenda sunt.

E potulentis, panis tosti in aqua molli infusio frigida, principem locum jure tenet. Liquores plerosque fermentatos, praecipue ex byne confectos, utpote saccharum continentes, et inde acefcentes, et aërem evolventes, nocere observandum est. Cerevisia vero amara Londinensis, vulgo *Porter* dict. vetusta, et bene lupulata, quibusdam optime convenit. In acidam fermentationem ulterius quam aliae cerevisiae provehitur; et igitur minus fermentationis redintegrationem, et in ventriculo remoram, patitur. Insuper, bene lupulata potestate amarorum quodammodo gaudet. E liquoribus vinosis tenuiora et saccharata evitanda; et meracissima, et probe fermentata, alcoholis quantitate superaddita servata, Portugalense, et Madeirense scil. Burdigalensi et plerisque aliis prohibitis, tantum usurpanda. His liquoribus minima quantitate nocentibus, et consuetudine stimulum postulante, saepenumero cum emolumento, spiritus vini tenuioris sinceri, aqua largiter diluti, substitui possunt. Cibus

con-

consuetus et jucundus, et si pejor, potius quam insuetus et ingratus, aegrotis saepe concedendus est. Neglecta vietus ratione, hysteriae sanationem vix unquam perfectam contingere, experientia firmat. In diaeta mutationes gradatim fieri, inter omnes convenit. Protestatem nocentem semper querendam, et inventam praecipue cavendam esse, oportet. Ex tabula vero paululum perlustrata, multae causae nocentes, aegre fatendae, inveniantur. Difficillimum simul medicus est, quod caute celatur divinare ; et hinc crucem, et opprobrium medicorum, mihi persuasum habeo, hysteriam saepe esse.

### 3. Seminium diminuere, vel penitus amandare.

Maxima medici cura et remediorum efficacia circa hoc consilium versantur. Seminio enim sublato, seu radice praecisa, fructus omnes emarcescunt. Seminium ex mobilitate et debilitate praecipue constare, jamjam monui ; et a plethora has saepe pendere cum aliis docui. Nemo medicinae studiosus, debilitatem et mobilitatem tollere, quam difficile sit, non audivit.

—————“ Facilis descensus Averni ;  
“ Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,  
“ Hic labor, hoc opus est.”

Remedia, quae huic consilio cum fide respondent, omissis sanguinis detractione et regimine diaetetico, alibi fatisse tractatis, e cohortibus tonicis et amaris dictis depromuntur.

Tonica

Tonica praecipue usitata sunt exercitatio, aër frigidior, cortex Peruvianus, chalybeata, cuprum ammoniacum, aqua frigida, et flores zinci.

Amara aliis jure praelata sunt radix gentianae, radix cursutae, summitates centaurii minoris, flores chamaemeli, folia et cortex aurantiorum.

De singulis pauca in ordine.

*Exercitatio* non solum laudibus medicorum spectatissimorum, Sydenhamii, Hoffmanni, aliorumque, sed etiam poetarum inclytissimorum ornata est. Pulchre et efficacissime, recta et ex eventu, de ea sic canunt poetae :

“ The first physicians by debauch were made,  
 “ Excess began, and sloth sustains the trade ;  
 “ By chace our long-liv’d fathers earn’d their food,  
 “ Toil strung their nerves, and purified their blood.  
 “ Vitanda est improba Siren  
 “ Desidia.” —

Exercitatio solidorum simplicium resiliendi vim, vivorum tonum adauget, et robur et vigorem corpori universo igitur conciliat. Exercitatio sanguinis circuitum accelerat, vasa cutis excernentia implet, ventriculum firmat, cibi appetentiam auget, assumptorum digestionem adjuvat ; chylum bonum reddit, sanguinem, virium et vitae thesaurum, laudabilem generat, secretiones, et excretiones plerasque, praecipue cutaneam, promovet ; nutrimentum redundans, et noxiū dissipat, justum inter ingesta et egesta aequilibrium

librium servat, et corporis demum statum sanum custodit. Quid multis? Sine exercitationis usu omnibus aliis remediis seminium tolli nequit. Exercitatio corpori nec nocet, nec longo usu virtutes amittit, nec saepe repetita injucunda fit. Omne itaque fert punctum, utile dulci miscendo. Gymnasia antiquorum Apollini, artis medicae Deo, sacrata, ad sanitatem tuendam, et amissam restituendam instituta, imitationem hodiernam, aequa ac observantiam, vindicare sibi jure videntur.

Ambulationem naturalem et utilissimam exercitationem esse, omnibus fatendum videtur; viribus vero aegrotantium admodum fractis, jure evitatur. Equitatio potentissima ab omnibus habetur, praecipue si, in equo imperando, fraenique habenis recte tenendis, animus occupetur. Peregre equitanti nova obiecta, grata varietate, animo perpetuo offeruntur; et ne de iis quae sibi propria sunt cogitet, aegram prohibent; curas igitur edaces deponit, et salutifera alacritate explicatiorem se erigit. Ambulatione equitatio plerisque optabilior est; quoniam laetitudinis expertior continuari potest. Gestatio in curru nimis lenis est ad corpus satis agitandum, vel animi actionem concitandam; praeterea, parum ibi fructus a puro aëre, remedio sane non contemnendo, percipitur, nisi aperta rheda aegra vehatur; et igitur, nisi debilitate vel coeli intemperie austera urgente, evitanda appareat.

Exercitationem lenissimam, in nave parva vero et mari turgido satis validam, navigatio profert; nam

nave

nave fluctuante, corporis consentaneus motus requiriatur, et igitur in lecto dormienti exercitatio modica et continua praebetur. Diaetae vero incommodis multis navigatio stipatur; igitur p[ro]ae aliis exercitationibus nullam commoditatem, nisi rebus domi angustis obrutis et debilitatis, pollicetur. Exercitationi ob imbecillitatem, aliasve causas denegatae, maximo non sine emolumento, substitui possunt pannis aridis ac strigili frictiones.

Exercitatio initio lenis, sub jove frigido peracta, iteratione quotidiana, gradatim pro viribus aucta, ante cibum, praecipue matutinum, capta, semper citra sudorem et fatigationem, nisi perleves, esse debet.

*Aer frigidior.*—Omnes homines, praecipue debiles, commoda salutifera aëris frigidi experti sunt. Coelo calido laßitudine a levibus causis robusti premuntur; debiles igitur anhelantes in cellariis subterraneis, lectis, et cubiculis commorantur; cum vero temperies potius frigida fentiatur, molestiae omnigenae roboris gratus sensus substituitur, animus depresso recreatur, et iter voluptarium sine exercitationis incommodis datur. Quae de exercitatione dicta fuere quodammodo aëri debentur; simul enim ambo plerumque junguntur. Aëris vero frigidioris effectus praestantissimi in cubiculis et lectis percipiuntur.

*Cortex Peruvianus.*—Inter remedia tonica ventriculo destinata, aureum hoc medicamentum merito agmen dicit, omnibusque aliis longe praefstat. Insignes dotes,

dotes, astringentem, amaram, et quadantenus aromaticam, possidet. Ventriculi tonum firmat; intestinis robur et vigorem conciliat; flatus evolutionem coerret; acidi generationi obstat, genitum quodammodo neutrum reddit; et motus abnormes canalis alimentarii compescit. Ejusdem insuper effectus, per corpus late diffusi, generis nervosi debilitatem et mobilitatem dispellunt; et ideo pulsum debilem, frequentem, et parvum, fortiorum, tardiorum, et pleniorum efficiunt. Sudores admodum debilitantes cortex Peruvianus arcet, et vires vitae restituit. Cortice Peruviano deficiente, vel aegrotis pauperibus, chincona Jamaicensis et cortex salicis albae adhibeantur †.

*Chalybeata* — Plurimis medicis, in curando hoc malo, diu familiaris martialium usus fuit. In canalis alimentarii tono reficiendo, et exinde toto corpore roborando, insignes praestant effectus. Ex omnibus e ferro praeparatis, limatura praestantissima commoda edit. Ab acido enim in ventriculo soluta absorbens, aequa ac tonica, fit. Hac vero forma sola uti, aegrotae tam mutabiles non cogendae sunt. Tinctura enim et sal martis, vinum chalybeatum, et aquae ferratae, praecipue Pyrmontica et Hartfellenis, limatura in admodum debilitatis, praestant. Pyrmontica magis, Hartfellenis minus saturata est; sed haec diutius fortis servari potest; quoniam careat aëre avolante, quo illa scatet. Fontes chalybeati, commoda omnia ab exercitatione, aëre, ferro, et animi oblectamentis expectanda, simul et semel hysterics offerunt.

*Cuprum*

† Vide Medic. Comm.

*Cuprum ammoniacum.*—Omnium tonicorum parca manu adhibendorum, hoc remedium, optimo cum successu, administratur. Inter medicos jure celeberrimos, cuprum ammoniacum, p[re]e aliis tonicis, in epilepsia aestimatur; cuius commoda vere magna, in morbo hoc diro profligando, ipse semel atque iterum vidi. In hysteria, epilepsiae malo tam consimili, probabile videtur, hoc e cupro praeparatum lenissimum magnopere profuturum; et in exemplis duobus e tribus, in quibus administratum vidi, brevi abacti sunt paroxysmi. Ex omnibus ejusdem cohortis, ventriculum stimulandi potestatem maximam possidet; et insuper ex eodem metallo pessimi saepe secuti sunt effectus; multi igitur sunt, quibus, nullo suo delicto, in suspicionem venit. Cullenus clarus, in praelectionibus suis, sententiam tradidit, cuprum aequa ac corticem Peruvianum, ante paroxysmum datum, votis administrantis melius respondere.

*Aqua frigida.*—Antiqui, de diaeta optime erudit[er], frigidae vires tonicas multis laudibus ornabant. De qua quoque sic dixit auctor summe venerandus.

“Aqua simplici sola, naturali frigiditate, largius hausta, atrocissimas convulsiones profligatas vidi †.” Potulentorum magna proportio ex aqua constat. Ex his igitur frigidis sumptis, optimi effectus sperandi sunt. Experientia porro docet quotidiana, paucis medicamentis manum a debilitate chronica tremulam, citius

I

et

† Hoffman. de Morbis convulsivis, vol. 2.

et certius, quam potulentis frigidis stabilem reddi. Plerisque dyspepsia laborantibus, potus frigidus, pro remedio haud aspernando, a medicis celeberrimis praescriptus est. Cibi appetitum exacuit, et concotionem promovet. Quamvis vero interne adhibita, felices eventus edat, tamen externe applicata, effectus salutiferos longe insigniores profert. Quantas lavatio frigida sibi acquisivit laudes, nemo non comprehendit. Corpus stimulat, vasorum cutis actionem suscitat, perspirationem inde liberiorem reddit; calorem et cibi appetentiam auget; pulsum validiorem efficit; animum exhilarat; et, ut verbis paucissimis utar, instar exercitationis agit. Si vero aegrota debilis remedium adeo validum et asperum male toleraverit, tunc cura maxima opus est. In principio balneum sit fere egelidum, postea prorsus frigidum; sed paulatim mutatio fiat. His rebus neglectis, ob spasmum superficie inductum, et aegre solutum, ipse cognovi balneum statim derelictum.

Oportet aegram, subito immersam, brevi solummodo in aqua immorari, et bene postea siccata, leni exercitatione paulisper uti. Tempus matutinum, vacuo ventriculo, jure optimum habetur. Aqua marina omnibus aliis facile palmam praeripit. Stimulat enim magis et constringit sale, pondere, et motu frigus augente. Praeterea, temperiem longe stabiliorem praebet, et aëris puri, frigidi, et exercitationis effectus, plerumque suis adjungit.

*Flores*

*Flores zinci.*—Medicamentum laudibus celeberr. Gaubii, aliorumque decoratum, aegre in desuetudinem abit. Ex hoc principio solo, eur clari quidam medici huic remedio, diu, ni fallor, et saepe incassum exhibito, multum fiduciae dederint, causa fortasse quaerenda est. Hanc rem experimenta intrepida, sed cum sagacitate facta, in publicum nuper edita, clare evin-  
cunt \*.

Ea quae sequuntur, quoniam minus utilia, cortici Peruviano in effectibus quodammodo consimilia, et propter dissertationis longitudinem jam nimiam, leviter percurram.

*Radices gentianae et cursutae.*—Amaris aliis enumeratis, gentiana et cursuta sunt potentiores; et haec illa amaritatem fortiorem, sed longe injucundiorem possidet. Utriusque amarities purissima videtur.

*Summitates centaurii minoris, et flores chamaemeli.*—Haec amara non sunt ac alia tam potentia, vel tam pura; sed haud ingrata vel inutilia. Cum cortice Peruviano, flores chamaemeli, dupla quantitate, amaritatem pergratam efficiunt.

*Cortex aurantiorum* cum amaritie levi, saporem aromaticum gratum possidet.

*Folia aurantiorum* a De Haen, in ratione sua mendendi, multis laudibus ornantur; et vim tonicam quamdam ea habere, erud. Cullenus suspicatur. In celebr. vero Homii, aliorumque experimentis, irrita inveniebantur.

Haec

\* Home's Clinical Exper.

Haec omnia amara cibi appetentiam promovendi, ventriculum corroborandi, concoctionem adjuvandi, et robore universum corpus perfundendi, quasdam vires caducas exerere, notum est. Docuit autem experientia, tonica interne adhibita, vel amara diu continuata, ventriculi tonum destruxisse, et mala multa horrenda corpori intulisse \*.

Insuper, ex consuetudine vires utiles amittere, inter omnes convenit. Oportet igitur ab eorum usū, per intervalla aegras desistere; et curationem exercitatiōni, aëri, diaetae, et frigidae praecipue committere.

4. Symptomata quaedam morbum augentia, vel curationem impedientia, mitigare vel amovere.

Haec symptomata sunt animi perturbatio, vigiliae, dolor capitis cum vertagine et aurium tinnitu; mingendi desiderium immodicum, urinae limpidae copia profusa effluente; dolores renum et vesicae, gastrodynia, tormina, cordis palpitatio, singultus, tussicula sicca, respiratio difficilis; faucium angustia, menorrhagia, amenorrhoea, fluor albus, sudores nocturni, dysuria, ischuria, et perspiratio impedita.

*Animi perturbatio* — Hic animi status medici alloquentis promissis, scenis novis jucundisque, amicorum moribus festivis et gratis colloquiis, itinere voluptario cum hilaribus comitibus, per regiones amoenas; iudis publicis, chartulis lusoriis, musicis concentibus, aliisque

\* Cullen's First Lines, &c.

aliisque blandimentis, delendus est. A melancholia vero ad festivitatem summam paulatim transeundum. Sicut enim lumen perlicidum subito oblatum, oculus tenebris assuetus, aegre, neque impune, tolerat; ita, a gaudio nimio, animus despondens, de improviso percussus, statim abhorret.

*Vigiliae*, exercitatione, caenula ambulante levi, horis duabus ante lectum petendi tempus sumpta, et rebus ad incitas redactis, anodynus consopiendae sunt.

*Dolor capitis cum vertagine, et aurium tinnitu,* remediis acidum, et flatum e ventriculo eliminantibus, et antispasmodicis externe applicatis, abigendus est.

*Mingendi desiderium immodicum, urinae limpidae copia profusa effluente, et dolores renum et vesicae,* alumine et uva ursi, astringentibus renum sensibilitatem et irritabilitatem, felici cum eventu, in malis variis minuentibus, et raro anodynus, ut videtur, amovenda sunt.

*Gastrodynia vel dolor ventriculi, et tormina vel dolores intestinalium consimiles*—carminativis, absorbentibus, et per os, inferiora, et externe adhibitis antispasmodicis, profliganda.

*Cordis palpitatio, singultus, tussicula sicca, respiratio difficultis, et faucium angustia*—acido et flatu prius abactis, antispasmodicis interne et externe administratis, et emplastris epispaisticis, pectori et dorso applicatis, compescenda videntur.

*Menorrhagiam, amenorrhoeam, fluorem album, et sudores nocturnos*—tonicis plerumque tolli oportet.

Si

Si vero amenorrhoea hystericae vigore adhuc praeditae accidat, antispasmodica imprimis usurpari debent. Sudoribus nocturnis profligandis, acidum vitriolicum, cum bona spe, saepe tentandum esse videtur.

*Dysuriam et ischuriam*—antispasmodicis modis diversis administratis, emplastris epispasticis, regioni hypogastricae et ossi sacro brevi applicatis, et cathetere pro re nata immisso, amandare conandum est.

*Perspirationem impeditam*—tonicis, praecipue exercitatione crebra et modica, electrizatione, frictione, affectus mulcentibus et animum exhilarantibus oblectamentis, et vestibus, regioni annique temporis, opportunis, liberam reddere oportet.

Tentamini huic jam finem impositurus, occasionem oblatam opportunam, gratias meritas, omnibus hujus almae Academiae Medicinae Professoribus; necnon Joanni Robison, Phil. Nat. Professori; viris longe lateque jure celeberrimis, Praeceptoribus meis per quadriennii decursum eruditis, semper colendis, agendi laetus arripio. Academiae quoque Glasguensis florentissimae Professores, praecipue Phil. Nat., Moralis, Rei Divinae, et Mathematicae; apud quos, fructu non sine summo, et felicitate cum maxima, tres hiemes degi; viri mihi amicissimi, ob multifariam eruditionem morumque suavitatem insignes, spectatissimi, et notissimi; de me semper optime meriti, maximas sibi vindicant gratias. Alii praeterea viro illustriss. Duncan, ad summos honores medicos, diligentia indomita, judicandi facultate gravi et limata,

ta, et indolis probitate proiecto; plurima maximi momenti, vere grata, et magnopere aestimata, medicinae studiosae juventuti, summa cum laude et utilitate, quotannis docenti; gratias quam maximas lubentissime refero.

Ex his vero eximiis viris, duo praeterea aliis, mihi, et studiosae plerumque universae juventuti, longe charissimi, animi penetralia intima semper occupabunt. Imprimis, in omni literarum genere praeclarus, et medicorum hujus seculi facile princeps, Cullenus; ob ingenii acumen summum congenitum, paucis mortaliūm datum, cultu indefesso auctum; morum urbanitatem, et beneficia gratuita multa, quibus cognatos meos, amicos, meipsumque, morbis laborantes, effectibus non sine optimis, saepissime prosecutus est. Deinde inter philosophos nomen vere magnum adeptus, artium liberalium Maecenas, Joannes Anderson, Phil. Nat. in Acad. Glasg. Professor celeberrimus; tam ob indolis suavitatem, amicitiam intemeratam, et benevolentiam insignem, in me, et universam fere studiosam juventutem expressam, et longe lateque decantatam; quam ob officia praceptoris privati, et amici optimi, innumeraque fere alia beneficia mihi dilargita: Tot, tantaque emolumenta, cum fructu, et delectatione, ex cursu ejus academico, omnia fere utilia, dulcia, et rei mathematicae peritis, diligenti intuitu intelligenda, complectente; res frivolas vero, aut per se patentes, aequa ac vires humanas, uno conspectu, longe transcendentes, rigide alibi demon-

demonstratas excludente; ad extremum usque vitae terminum grato animo meminisse juvabit.

Universis, singulis, suisque, omnia bona, fausta, et optabilia abunde contingent; et felicitas, ex quovis fonte, simul cum annis augescat. Valeant prosperime; et diu in literarum emolumentum, generis humani salutem et ornamentum, et Caledoniae decus et gloriam, vivant et florent.

### F I N I S.